

centiarum luem, hoc est perpetuam naturae inclinationem ad malum in naturam hominis invexit: ita ut Apostolo teste, homo per concupiscentias erroris sit corruptus.

85. Quo sensu Damascenus peccatum originis dicit esse superfluitatem concupiscentiae, & non necessariam concupiscentiam: περίτωμα Πτιθυμίας Καὶ χρεώδην Πτιθυμίαν. L. 4. Orth. fid. c. 26.

86. Reatus huius mali, non tantum est servitus sive conditio mortalitatis, quam propagant ex Adamo sustineant, sine aliquo proprio vicio, propter alienam culpam.

87. Propter quam tamen servitutem nemo aeterna morte damnetur: haud secus ac ex ancilla servi nascuntur: qui tamen servilem hanc conditionem sine propriis naturae vitiis, propter calamitatem matris substinent: ut nonnulli heretici fuerunt nugati.

88. Sed est tristissima illa servitus, qua nos ad unum omnes homines, cum Protoplasis, respectu primi istius atrocissimi delicti, in societate culpæ sumus, adeò, ac si ipsimet de pomo vetito comedissemus.

89. Cujus servitutis haec est qualitas & hic effectus, ut venundati sub peccatum, natura simus filii iræ Dei, carentes gloria Dei, & nihil prorsus aliud, quam officina mortis & condemnationis dici queamus. Rom. 3. 23. & c. 5, 12. Eph. 2, 3.

Quam